



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

jectione primaria & radicali, quæ est à gratia sanctificante, existente in essentia animæ, indeque medio habitu charitatis influente voluntati rectitudinem, quā illam Deo ut ultimo fini subicit. Unde ibidem observat Cajetanus, D. Thomam nunquam dixisse, quod formale peccati originalis sit privatio rectitudinis aut subjectivæ voluntatis, sed dixit esse privationem originalis iustitie, per quam voluntas subdebatur Deo, ut insinuerat talem locutionem transitivam esse, & se loqui de subjectione causalī & radicali voluntatis, quæ est à gratia sanctificante, non verò de proxima & formalī, quæ est ab habitu charitatis: quapropter in aliis locis supra adducit, S. Doctor, loco voluntatis, ponit mentem, quæ B. primariò dicit ipsam animam.

## ARTICULUS VII.

*An pueri cum solo originali decedentes sub eam pœnam gehennæ & combustionis exercitae, vel saltē aliquam ex pœna damni tristitiam patiantur?*

## §. I.

Premittitur quod apud omnes est certum, & reveruntur sententiae.

**C**ERTUM & indubitatum est apud Catholicos, infantes decedentes sine baptismo, & cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, pœnam damni, consistente in carentia visionis intuitivæ Dei, de facto puniri. Id enim aperte ex Scriptura colligitur, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et 1. ad Corinth. 2. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viviscabuntur: id est, nemo à morte contracta per Adamum liberatur, nisi Christo ut capiti uniatur; quæ unio non fit nisi per baptismum, per quem Christo incorporamur, & membra ejus efficiuntur.* Idem definit Synodus Palæstina, seu Diöspolitana, ut testatur S. August. lib. de gestis Pelagii cap. 8. & Epist. 106. Synodus etiam Catthaginensis & Milevitana apud eundem Epist. 90. & 92. & Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato origin. can. 4. & 5. Favent etiam SS. Patres, illi præcipue qui restiterunt heresi Pelagianæ, cuius unum ex præcipuis dogmatibus hoc erat: *Infantes, tametsi non baptizati, vitam eternam habent.* Denique id ratio suadet: Nam sine gratia gratum faciente nemo potest videre Deum: Atqui parvuli cum peccato originali decedentes, gratiâ gratum faciente prædicti non sunt, sed eâ in pœnam talis peccati privantur: Ergo puniuntur pœna damni, in carentia visionis intuitivæ Dei consistente. Minor est certa, Major probatur. Visio Dei est actus supernaturalis perfectus, imò & omnium perfectissimus: Sed actus supernaturalis non potest, conaturaliter saltem, elicere natura ejusdem ordinis, ut in tractatu de gratia ostendimus: Ergo sine gratia gratum faciente, quæ est natura ordinis supernaturalis, & quæ in illo ordine gerit vices substantias, & principii radicalis actuum supernaturalium, nemo potest videre Deum.

In hoc, us dixi, convenient omnes Catholicos

A contra Pelagianos. Sed difficultas est & controversia inter Theologos, an parvuli cum solo originali peccato decedentes, præter pœnam illum damni, in carentia visionis Dei consistentes, pœnam aliquam sensus patiantur, aut falso an ipsa pœna damni, quam patiuntur, sit illis causa alicujus mœstitudinæ vel doloris? In cuius difficultate resolutione quatuor invenio diversas Authorum sententias.

Prima assertit parvulos decedentes sine baptismo, & cum solo peccato originali ex hac vita migrantes, non alium in perpetuum Dei visione privari, sed etiam pœna ignis aeterni puniri, minus tamen quam adultos damnatos, eò quod leviori culpâ adstringantur. Ita docent Gregorius Ariminensis in 2. dist. 30. & 31. Driedo lib. 1. de gratia & lib. arbit. tract. 3. cap. 2. & probabile reputat Albertus Magnus in summa tract. 18. Pro hac etiam sententia acriter pugnat Florentius Contius Minorita, in tractatu edito ad calcem libri Jansenii, *De statu parvolorum sine baptismo decedentium ex hac vita*, secundum mentem B. Augustini, & ab eodem Jansenio approbat atque laudato lib. 2. de statu naturæ lapsum cap. 25. in fine. Quo in tractatu contendit Author ille, oppositam sententiam, quam à quingentis ferè annis omnes ferè amplectuntur Theologi, esse Pelagianam, & peccatum originalis penitus evanescere.

Secunda docet parvulos in peccato originali decedentes, nullâ quidem pœna sensus fore plebescitos, aliquam tamen tristitiam de amissione sua beatitudinis habituros, quæ tristitia pertinet ad ipsam pœnam damni. Henc tenet Abulensis super cap. 25. Matth. qu. 66. & 67. Bellarminus tomo 1. lib. 6. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 6 & 7. Valentia tomo 2. disp. 6. qu. 17. puncto 4. & probabilem censem Soto, Zumel, Curiel, & alii

Tertia existimat quod illi parvuli privantur quidem in pœnam peccati originalis beatitudine supernaturali, in clara Dei visione consistente, non tamen beatitudine naturali, sicut in cognitione & dilectione Dei ut Authoris naturæ; & addit quod post diem judicij illi super faciem terræ velut in paradiſo quoddam terrestri habitabunt, pleni sapientiæ, & virtutibus moralibus instructi, & quod Angelorum consortio, ac visitationibus, ex quibus magnum percipient solatium, sepe fruentur. Ita Catharinus libro de statu parvolorum decedentium sine baptismo, Albertus Campensis controv. 1. de peccato originali proximè ad finem, Hieronymus Savanarola in libro de triumpho crucis. Eamque sententiam probabilem putant Salmeron in cap. 5. ad Roman. disput. 48. Salas, & alii ex Recentioribus.

Ultima & vera sententia defendit parvulos in peccato originali decedentes, pœna quidem damni, in carentia notitiae intuitivæ Dei, naturalisque beatitudinis consistente, puniri; non tamen pœna sensus, aut interiore dolore seu tristitia, ex carentia boni amissi causata. Hanc quoad omnes partes tenent communiter Scholastici cum Magistro in 2. dist. 33. & D. Thoma ibi qu. 1. art. 1. & 2. ad Annibal. dist. 34. qu. unic. art. 4. & qu. 5. de malo art. 2. Undesit

167